



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 1. De proptia ratione Sacramentalis satisfactionis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

rar. si fiant esse nulla: vt collationem beneficij factam excommunicato ex c. *Postulasti*, De Clerico excom. *Ministr.* Vnde coniectura ducitur, quod excommunicatio iure positio, non reddat absolutioem à peccatis inualidam, cum id in illo non sit similiter expressum. Quod si opponas in c. *Si celebrat*, haberi Sacramenta collata ab excommunicato minore excommunicatione non carere virtutis effectum, eo quod is non videtur à collatione, sed à participatione Sacramentorum remotus. Quasi nimirum sint effectus caritatis, si ab illo suscipiuntur. Respondetur ex Nauar. ad c. *Consideret*, De penit. dist. 8. *Cantur*, n. 30. excommunicatum remoueri à Sacramentorum participatione, verum esse hoc sensu; quod excommunicatus male faciat dum sciens & prudens suscipit Sacramentum: nõ autem quod ab eo suscepta sint nulla Nam ex c. *De eo qui furtiue ordines suscipit*, is qui excommunicatus infingitur ordinae, verum Sacramentum ordinis suscipit: etiam si ab illius executione suspendatur. Deinde ex c. *Significasti*, De eo qui duxit in Matrimon. & c. matrimonium ab excommunicato contra eam, tenet. A hæc nemo auderet Confirmationem iterare illi, qui ante eam accepisset excommunicatus. Quare excommunicationem ita remouere à Sacramentorum perceptione, vt illa reddat nulla; nec in Sacramentis quæ iterari possunt (vt Matrimonium & Penitentia) nec in ijs quæ iterari possunt (vt Confirmatio & Ordo) locum habet. Itaque saluo meliori iudicio Pontifex in c. *Si celebrat*, probans valida esse Sacramenta collata ab excommunicato minore excommunicatione: quia is non est à collatione remotus: non videtur supponere Sacramenta de facto inualidè suscipi aut conferri, eo ipso, quod suscipiens aut conferens excludatur per excommunicationem ab eorum usu: sed quod etiam si id esset, tamen non carere effectu collata ab excommunicato minore excommunicatione, qui tantum ab illorum perceptione, non autem à collatione est remotus.

Quarta propositio est, Eum qui se fecit ac fieretur excommunicatum: & errore ductus secundum formam qualiteratem iusto (sive iuris sive facti) putaret se posse à Confessione suo absoluti, etiam si ab eo absolueretur à peccatis priusquam ab excommunicatione, verè à peccatis absolutum esse. Hanc adidem c. *Frater*, n. 45. Nauarius habet: & probat eam ex eo quod tunc, iuxta ante dicta, neque excommunicatio neque peccatum mortale interueniens, reddat, ita quam ob ex, absolutioem inualidam. Has eadem propositiones refert & approbat Couar. in *anticitata parte* §. 6. n. 7.

Quinta propositio pro qua auctores citat Nauar. in *Enchir.* c. 9. n. 4. est, Excommunicatum excommunicatione que in foro interno & coram Deo iniusta est, posse absoluti à suis peccatis. Ratio est quia talis in eo non est excommunicatus, sed in externo tantum, & quoad Ecclesiam. Ad quod facit etiam quod de aliter excommunicato generaliter Caiet. & Couar. docent: ille 2. 2. q. 70. art. 4. & hic in seq. §. 7. n. 7. versus illud tamen. Cum absuerit scandalum, rale non posse abique peccato, diuinis immiscere se, hoc est, eiusmodi cui constat se innocentem esse, ideoque excommunicationem sic in se laicam, nullam esse quoad Deum: suamque innocentiam nequit probare, posse inter diuina celebrare vitato scandalo: vt celebrando in loco secreto: aut coram iis tantum, qui illius innocentiam sibi facile persuadent.

Sexta propositio est. Quamuis ille qui excommunicatus, à peccatis absolutus est secundum tres proxime præcedentes propositiones, non teneatur confessionem iterare: teneatur tamen querere absolutioem ab excommunicatione, qua manet irretractus: nec potest in re remiscere se diuinis. Ita expressè habet Caiet. in verbo *Absolutiois impedimenta*: & ex superioribus inferri Nauar. monet in *princ. cit.* n. 48. Sic autem inferitur: Cum ex hypothesi excommunicatio non tollatur à Confessione non absolvente ab ea: vel quia non meminit, vel quia non potuit: profecto eadem perleuerat in Penitente; etiam si reconciliatus sit Deo: donec is fuerit ab illa absolutus, ex c. *A nobis* 2. De sent. excom. Quocirca tenetur sub pena peccati mortalis, perinde ac prius abstinere à diuinis, à quibus Ecclesia, cui ex Christi præcepto parere tenetur, ipsum excludit ex c. *Illud* & c. *Si celebrat*, De Clerico excommunicato ministrante.

LAVS DEO.

LIBER TERTIVS, AC OPERIS TOTIVS SEPTIMVS, DE SACRAMENTALI SATISFACTIONE.

P R A E F A T I O.



AMBIGVVM est satisfactionis nomen, interdum enim sumitur pro debiti solutione, qua tantum restituitur, quantum ablatum est: interdum etiam pro responsione ad aliquam interrogationem, vt cum prima Petri tertio dicitur: *Parati semper ad satisfactionem*, id est responsionem, omnino poscenti vos rationem, de ea qua in vobis est spe & fide. Interdum autem pro defensione al. cuius, seu purgatione à crimine et obiecto: in qua significatione satisfaciendi verbum D. Paulus sumpsit Act. 24. dicens: *Bono animo pro me ipso satisfeciam: id est, libenter me purgabo à crimine mihi obiecto.* Interdum præterea, pro iniurie illata compensatione, quantum satis est ad vindictam: que acceptio est in usu, tam apud Theologos, quam apud Iuris peritos de actionibus & passionibus iniurijs agunt: vt cum de detractionibus conuictis, &c. Interdum denique, ex accommodatione sacrorum Scripturarum ad significandam compensationem iniurie Deo illata ab homine. In qua significatione sumitur interdum latius, pro omni remedio, ad Deum, quem peccatis nostris offendimus, placandum adhibito: sive à nobismet ipsis qui peccauimus, sive ab alio. Sicque dicimus Christum satisfecisse pro peccatis totius humani generis: & Theologi quarunt, An vnus homo possit pro alio satisfacere. Interdum verò sumitur angustius pro eo tantum remedio, quod ad placandum Deum peccatis offensum exhibetur ab eo, qui peccauit: Quod quidem remedium est opus pænale, ex Dei acceptatione satisfactorium pro pena peccatis debita: sive post hanc vitam in purgatorio, sive in hac vita perforatur. Quod fieri potest dupliciter: vno modo propria sponte, alio modo ex impositione Confessarij. Atque hæc demum ratione constituit satisfactionem, qua est pars Sacramenti Penitentiae. De cuius impositione per Confessarium & acceptatione per Penitentem, ac impletione per hunc, & relaxatione per illum institutum dicere in hoc libro: prius exposita propria ipsius ratione. Primum ergo caput erit, de eadem propria ratione. Secundum, de necessitate imponendi & acceptandi satisfactionem in usu Sacramenti Penitentiae. Tertium, de iis quæ imponi possunt in satisfactionem. Quartum, de prudentia Confessarij in imponenda satisfactione. Quintum, de quantitate & qualitate satisfactionis imponenda. Sextum, de remedijs & penitentis varijs, quæ aduersus varia peccata iungi debent Penitenti Confessario. Septimum, de adimplentione satisfactionis impositæ. Octauum, de eiusdem relaxatione. Reliqua erunt de Indulgentijs per modum appendicis.

CAPVT I.

De propria ratione satisfactionis Sacramentalis.

S V M M A R I V M.

1. Definitio satisfactionis Sacramentalis, cum explicatione.
2. Post remissionem peccati culpam, remanet aliqua pena per soluendam siue hic, siue in Purgatorio.
3. Eam minuit, tum contritio, tum Sacramenti susceptio.

X 4

4 Sati

- 4 Satisfactionem fieri per opera penalia, quomodo accipi debeat.
- 5 Quomodo talia opera significantur ieiunij, elemosina, & orationis nominibus.
- 6 Satisfactio ex eo dicitur Penitentia, quod sit huius effectus & externum signum.
- 7 Est ut Sacramenti penitentia pars, restauratio est iustitie lesa tantum imperfecta.
- 8 Maior est ceteris paribus efficacia satisfactionis Sacramentalis, quam propria sponte suscepta.
- 9 Supra sponte susceptam, hoc habet Sacramentalis satisfactio, ut etiam facta in peccato mortali aliquando valere possit, ad tollendam penam peccatis debitam.
- 10 Quomodo id possit.

1. **A**d rationem propriam seu naturam Sacramentalis satisfactionis declarandam, plures quidem inveniuntur traditae definitiones. Sed vna satis accurata & familiari contenti esse possumus; quae satisfactio sacramentalis dicitur esse, voluntaria passio poenae pro peccato, ad placandum Deum à Confessario impositae Penitenti, propositum habenti Deum ipsum non offendendi de cetero. Hanc omittis illis verbis à Confessario impositae, Nauar. ad cap. satisfactio, De penitent. dist. 1. tert. num. 2. tradit, & consequenter explicat: inquit, verbum *Voluntaria*, significat satisfactionem esse opus virtutis, prout in Supplem. 3. par. D. Thomae quest. 12. art. 1. probatur ex eo, quod nullus actus operetur delectionem peccati, nisi sit actus virtutis, cum vnum contrarium destruat per suum contrarium: per satisfactionem autem, peccatum annihilatur. Quod verò sequitur, *passio poenae*, ait generaliter sumi pro quacunque laesione, labore, & dolore animi vel corporis, vel honoris, vel pecuniae. Quod deinde subiungitur, *pro peccato ad placandum Deum*, ait excludere passionem quae ob aliud, quam ob peccatum, vel in alium finem, quam ad Deum placandum assumuntur. Additum autem est consequenter, à Confessario impositae, propterea quod austeritates & poenitentiae voluntariae, quas Penitens pro arbitrio suscipit, ut per eas Deo pro peccatis suis satisfacere possit; non constituunt eam de qua agimus satisfactionem; quia non sunt à Confessario impositae. Additum est praeterea, *Penitentis*, quia Sacramentalis satisfactio non alteri, quam Penitenti imponi potest: siquidem virtute elauit sententia in eum solummodo profertur, qui se eis subicit: ut facere censetur is qui Sacerdoti confitetur, tanquam Iudici habenti à Christo auctoritatem absoluedi à peccatis, & ligandi ad poenam pro illis subeundam. Positum est postremo, *habendi propositum Deum non offendendi de cetero*, quia ut ad ceteras Sacramenti poenitentiae partes, ita & ad hanc necessarium est tale propositum: Deinde quia satisfactio, de qua agimus debet esse actus virtutis poenitentiae, quae non modo praeteritum, sed etiam futurum peccatum respicit; inclinando ad illius odium & auersionem; habetque rationem quam vendam medicinam; ut ad praecitata peccata curanda, sic ac futura praecauenda.

Quaedam notanda ad plene intelligendam propriam rationem satisfactionis Sacramentalis.

SECTIO PRIOR.

2. **V**T autem tota res melius intelligatur, quaedam explanationi huic adiungenda sunt. Primum est expressè definitum esse in Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. & Can. 30. & sess. 14. cap. 8. & Can. 12. Quando in Sacramento poenitentiae remittitur peccatorum mortalium culpa, non deleri semper sicut in baptismo totam poenam eidem debitam; sed aeterna dimissa, temporalem aliquam plerumque manere delendam, per dignos fructus poenitentiae: quod latius disputatum aduersus haereticos, qui volent videre potest apud Bellarm. lib. 4. De poenitent. Satis enim nobis est notasse quod ad talem poenam tollendam instituta sint indulgentiae, ex Extrava. communi Vnigenitus. De poenit. & remiss. ad eamque luendam, post hanc vitam quidem, si aliqua nondum dimissa super sit animae decedenti in gratia Dei, ordinatae esse Purgatorij poenae: prout inter cetera definitum est in Concilio Florentino.

In hac vita verò, institutas esse poenas non solum à nobis pro peccato vindicando sponte susceptas, aut Sacerdotis

arbitrio, pro mensura delicti impositas, sed etiam temporalia flagella patienter à nobis tolerata propter Deum, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. Iam ut culpa mortalis, finita quidem est ratione conuersionis ad creaturam, sed infinita ratione auersionis à creatore secundum receptam (ref. Nauar. De indulgentiis notab. 16. num. 2.) Thomae sententiam: sic etiam poena eidem culpae debita, finita est quidem quoad intentionem, sed infinita quoad durationem: ut pote aeterna, iuxta illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem aeternum. Quae de praedicta illa poena temporali notat Caiet. in 1. Opuscul. ad. 4. quest. 4. quod ea sit ipsamet aeterna, subtracta aeternitate per culpae remissionem, quae peccator diuinae gratiae restitutus, definit obnoxius esse eidem poenae aeternae; quae propria est illorum qui tanquam hostes peruntur.

Addit idem per conuersionem minui eiusmodi poenam, quia in homine vitare contritio, quatenus poenalis à charitate procedens, satisfactoria est, sicut cetera bona opera: ita ut inquit ille, duo haec sint certa: nempe quanto maior est contritio, tanto plus tolli de poena temporali debita peccato: deinde posse contritionem tantam esse ut totam eandem poenam tollat: non quidem vi sua quod dicitur Pelagianum esse; sed virtute meritum Christi, quibus nostrae satisfactiones nihil debent, ut sufficientiam aliquam habeant, prout constat ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. Item per Sacramentum poenitentiae eandem poenam aliqua ex parte tolli, idem auctor ex eo confirmat, quod susceptione Sacramenti, passionis Christi meritum, poena peccatis nostris debita remissionem, applicetur membris eiusdem Christi, per charitatem ei viuunt.

Secundum notandum est satisfactionem in poenitente, correspondere conuersioni ad creaturam per peccatum, sicut contritio correspondet auersioni à Deo per idipsum peccatum. Et quia per conuersionem ad creaturam, in Dei contemptum, nihil concessum est concupiscentiae circa aliqua bona temporalia delectabilia, vel nobis vilia debere satisfactionem fieri per bona opera poenalia quibus & Deus honoreretur, & concupiscentiae temporalia subtrahantur; ut sic compensatio fiat ex lege iustitiae, detrahendo ei qui habet plus iusto, & addendo ei qui minus habet. Quae ratio adfertur in Suppl. tertiae partis D. Thomae quest. 13. art. 1. ad docendum non per alia bona opera, quam poenalia, fieri satisfactionem pro peccatis. Quod aduertere, verum esse quidem; omnem tamen actum virtutis, licet vno respectu delectabilis sit alio nihilominus esse poenalem, & sensualitati repugnantem: itaque ex parte aptum esse ad satisfactionem. In quo & in quibusdam aliis (de quibus pauca bene Henricus, in summa lib. 5. cap. 19.) immorari, scholastici instituti potius est, quam huius nostri. Fortè autem D. Thomas respexit ad id quod Ecclesiae vsus habet: ut quamuis homo quibuscumque suis operibus Deo gratis, tam interius quam exterius, ut mereri, sic satis facere possit: tamè à Confessario non nisi opera habentia suapte natura aliquam poenam ac difficultatem, imponantur Poenitenti in satisfactionem.

Porro cum ex 1. epist. D. Ioan. cap. 2. concupiscentia triplex sit: carnis, seu voluptatum corporis: oculorum, seu bonorum temporalium; & superbiae vitae, seu honoris; conueniens est ut Deo satisfaciamus subtrahendo nobis ista genera bonorum, per ieiunium, elemosinam, & orationem, quae communitè statuuntur esse bona opera, per quae possumus Deo pro peccatis satisfacere: eo quod ieiunium subtrahat concupiscentiae, delectationes carnis; & elemosina, commoditates rerum temporalium, ac demum oratio, superbiam vitae cohibeat per animi demissionem, eum qua debet ipsa fieri.

Vbi aduerte latè sumi ieiunij, elemosynae & orationis nomina: ut nimirum ieiunij, nomine intelligantur quaecumque nota sunt lasciuia carnis edomare: ut flagella, vigiliae, cilicia, huncubationes, peregrinationes, & id genus alia: quae carnem assilgere solent non tantum quae sponte suscipiuntur à Poenitente aut ei à Sacerdote iniunguntur: sed etiam temporalia flagella, quae à Deo iniunguntur; ut morbi, paupertas, & huiusmodi alia dummodo, ut à Sancto Iob, patienter ferantur: quandoquidem vidua est virtus quam non patientia firmat, ut dixit Prudentius. Et ut ait D. Iacobus in cap. 1. suae Epist. Patientia opus perfectum habet. Quib. flagel-

lis (de quorum numero est ipsa etiam mors incurabilis, pro
ut notat Nauarr. in *Enchir.* cap. 26. num. 23.) apud Deum Pa-
trem Iesum Christum nos satisfacere posse definit Concil.
Trident. in *cit. sess.* 14. cap. 9. Satisfacimusque de facto per talia
pariendo illa pie, tanquam à Deo immixta; eademque offe-
rendo in compensationem nostram offendamur: vt ex D.
Thomæ doctrina & Concilij Trid. approbatione, habet
Nauarrus in *precedenti cap.* 3. num. 4.

Nomine elemosynæ vero, intelliguntur non tantum
pecuniarum largitiones sed etiam (vt ex Soto Nauarrus, & ex
D. Thoma Syluester habent ille in *cod. cap.* 3. n. 2. & hic in *verbo*
factio quest. 8.) opera misericordie corporalia vt mortuos
sepelire, infirmos visitare, itemque hospitalia & carceres, &
quidquid aliud impenditur in vilitatem proximi ex *Supplem.*
3. p. 2. D. Thomæ *quest.* 15. art. 3. ad 5. Denique nomine orationis
intelliguntur non tantum meditationes, & preces vocales:
sed etiam, vt addunt Nauarr. & Syl. omnia spiritualia opera mi-
sericordie: itemque, vt in finem est in eadem *supplemen-*
to, opera religionis; seu pertinentia ad Deum cuius: vt
v. g. Missæ sacrum celebrare, vel audire: libros pios
legere, confessiones excipere, concionari, & alia eiusmodi.

Tertium notandum, est quamuis satisfactio vulgo dici
solcat penitentia; eam tamen solum esse penitentiam in in-
teriore voluntate existentis effectum, figuramque externum
nempe sicut eum videt quis sumum, cognoscit ipsum ex i-
gure procedere; ita cum quis macerat carnem suam ieiunio
aut alia ratione affligit, cogitatur in corde dolore habere,
ex quo indignatio illa sancta contra seipsum, procedat. Si-
militer & cum quis videns alterum, distingit gladium aut la-
pidem vel fustem arripit, vt illum percutiat, ostendit latens
in corde odium quo illum prosequitur: eadem ratione ho-
mo allumens ieiunia & alias mortificationes, vt de peccato
suo propter Deum vindictam sumere in seipso possit, ostendit
odium internum quo prosequitur peccata sua propter
Deum, cuius sunt offensa.

Quartum est: eo spectare satisfactionem, vt iustitia per
illam iniuriam læsa, restitatur secundum æqualitatem
actionum. Id quod fieri potest dupliciter, vno modo, se-
cundum absolutam & perfectam æqualitatem: vt quando
inter duos homines æquales, actio contumeliosa recom-
pensatur per aliam contrariam, tantum habentem honoris,
quantum prior habuerat contumelie. Altero modo secun-
dum æqualitatem imperfectam; vt cum quis à proprio ser-
uo grauius affectus iniuriis contentus est, si is de sito
crimine veniam petat: aut cum is qui perulitaturam de-
cem millium aureorum satis fieri sibi patitur cessante bono-
rum omnium: licet ea ad summam tot millium nequaquam
peruenierit. Non posse autem satisfactionem prioris modo
fieri Deo ab homine pro suis peccatis, inter omnes conue-
nit: quia quidquid sumus & habemus totum est Dei; illud
que exiguum ac finitum. Vnde cum peccando infinitum
bonum, diuinamque maiestatem offenderimus, nisi ali-
qua acceptatio & donatio incedat, nemo potest Deo sa-
tisfacere pro peccatis, quibus in eum iniurius fuit. Quare
posterior tantum modo satisfactio, quæ acceptatione &
donatione Dei nititur, locum habet in Sacramento Peni-
tentie.

De differentia inter satisfactionem propriam sponte assumptam & eam
quæ imposita à Confessario, acceptata est à
Penitente.

SECTIO POSTERIOR.

8. **P**ostremum est quamuis in substantia operis, contentant
satisfactio propria sponte suscepta, & à Confessario in-
iuncta: inter utramque tamen duplex magnum cerni discrimen
quorum prius in hoc consistit; quod ceteris paribus,
maioris efficacitæ sit illa, quæ à Confessario imponitur, quam
quæ propria sponte suscipitur. Sic ceteris paribus magis cen-
setur satis fecisse: & peccatis suis debitæ, qui impleuit iei-
unium à Confessario impositum, quam si impleuit non
impositum, quia talis satisfactio fuit sacramentalis: Sacra-
menti que virtute meritorium Christi applicatur satisfaciendi.
Dicitur ceteris paribus, quia posset quis tanto feruore deuotionis,
ieiunare propria sponte, & tam tepide ex impositione Con-

fessari; vt plus consequeretur ratione deuotionis, quam fa-
ceret, ratione Sacramenti.

Posterioris discrimen in hoc consistit, quod satisfactio
spontanea, si in peccato mortali fiat, nihil proficit ad pœnæ de-
bitæ compensationem; neque tunc, neque postea, quia non
potest valere nisi ex opere vt vocant operantis, seu ex bona
dispositione interiori, per quam Deo acceptum est id quod
agitur. Nullum autem opus factum extra gratiam & charita-
tem valet apud Deum: sicut nec apud Regem moneta adul-
terina: iuxta illud prioris ad *Corint.* 13. Si distribuero in cibos
pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum
vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi pro-
dest. Satisfactio vero iniuncta à Confessario, etiam facta in
peccato mortali, aliquid valet; tum eo quod per illam im-
pletur præceptum Ecclesiæ in *cap. Omnis vtriusque sexus, De*
penitent. & remiss. datum de peragenda pœnitentiæ à Confes-
sario imposita: neque opus sit eam iterare, ex Sori sententia
frequentius recepta, prout habet Nauarr. ad *princip. cap. Primi,*
De penitent. distinct. sexta, num. 45. Et probatur: quia Ecclesiæ
præcepta possunt in peccato mortali impleri quoad substan-
tiam actus qui præcipitur. Sic enim ieiunij Ecclesiastici vio-
lator esse non censetur, qui illud seruauit in peccato mor-
tali: quia fecit id quod præcipitur, non obstante malo suo sta-
tu, & sic de aliis.

Præterea licet illud opus, pro eo tempore quo homo ex-
istit & perseuerat in peccato mortali, non sit satisfactorium
ex communi sententia, teste Nauarro ibidem: est tamen pro
eo tempore quo ille à peccato surrexit: vt idem Nauarr. in
Enchir. cap. 3. num. 5. habet ex D. Thoma, cum aliis quos in
priori parte *can. delab. auri cap. De satisfactione, num.* 13. Alpho-
nusus à Vualdo commemorat. Ratio autem est: quia talis sa-
tisfactio pars est Sacramenti & per consequens tanquam
Dei operatio, remoto obice sortitur suum effectum, argu-
men. *cap. Tunc, valere, De consecr. distin.* 4. Iaque sicut in
precedenti libro, num. 170. diximus de confessione valida in-
formi, eam fieri quidem sine suo sacramentali effectu, sed il-
lum postea sortiri, cum obex sublatus fuerit: similiter dicen-
dum est, satisfactioe imposita à Confessario, nempe factam
in peccato mortali sortiri suum effectum, id est remissionem
pœnæ quando homo redierit ad gratiam Dei. Quod à Caer.
traditum in *Summula verbo Satisfactio: & plenius tractatum ab*
eodem in 1. rom. opus. tract. 6. quest. 2. improbat quidem S.
rus, in 4. distinct. 19. quest. 1. art. 5. sed vt apparet satis debili fun-
mento: quod est, satisfactionem non esse de essentia Sacra-
menti: hoc enim euertitur ex eo, quod in Concil. Florent. in
instructione Armenorum & in Concil. Triden. sess. 14. c. 3. & Can. 4.
Satisfactio constituitur Sacramenti Penitentiae pars mate-
rialis, sicut contritio & confessio. Vnde sequitur vere Sacra-
mentalem esse, etiam si tantum sit pars integralis. Nec est
quod quis inde inferat satisfaciendum in peccato mortali,
peccare mortaliter. Nam Sacramentum penitentiae non re-
quirit sanctitatem in suscipiente: Ita enim ille qui contami-
natus peccato mortali, confitetur attritus tantum, non pec-
cat mortaliter: vt patet ex doctrina de eadem attritione tra-
dita in Concil. Triden. *sess. 14. cap. 4.*

Quæritur autem an satisfactio illa sortiat postea totum
effectum remissionis pœnæ, quem sortita esset facta in cha-
ritate. Respondet Caer. in *citata qu. 2. ante solutionem 1. argumen-*
ti non sortiri totum effectum Nauarr. vero ad memoratum
principium nu. 49. verius putat quod totum effectum sortia-
tur. Quidquid autem sit in speculatore Scholasticis relinquen-
da, ad praxim parul refert quodnam eorum sequamur: et si di-
ctum à Nauarr. videatur hoc nomine præponderare, quod
tanquam multum fauens animæ, valde commendans Dei
miseriordiam erga eam respicientem, valeat maxime ad
fouendum studium faciendi fructus dignos penitentiae: ad
quos D. Ioann. Baptista Matthei 3. hortatur.

CAPVT II.

De necessitate satisfactionem per Confessarium impo-
nendi, & per Penitentem as-
ceptandi.

S V M M A R I V M.